

1469

Petrus Mocenicus in  
provinciam  
ad classem  
venit.

pide ad naves receperunt. Ita infecta re, classis ad Aulidem mille & quingentos passus a Chalcide concessit. Eodem die non multo ante occasum solis Petrus Mocenicus cum tribus triremibus eo applicuit: ad primum venientis conspectum Canalis in actuarium cymbam transgressus, subito illi obviam processit: ibi post mutuam salutationem continuo edocet, quid tum animo moliretur: conflasse se classem validissimam, ut Chalcidem reciperet, venisseque in spem ejus recuperandæ, si diutius classi præfuisset: Verum non desperare omnino eventurum, ut quæ ipse per imperii abrogationem consequi non posset, novus imperator sua virtute, omnibus ad id paratis, facile exequeretur. Ad ea Mocenicus: *Quin age potius*, inquit, *& tu, si qua spes est, perge urbem recuperare*. *Nam quod ad me attinet, tantum abest ut hoc nomine publicum ullum commodum impedere velim, quod libens vel socium, vel comitem, me tibi in tam arduo negocio adjungere non recusem*. Tum eo negante se alienis auspiciis aliquid gesturum, evocatorum navibus dimissis (nam in animo nullo modo erat, oppugnationem jamdudum infœliciter tentatam, Reipublicæ suæque æstimationis periculo exequi) cum classe (jam enim hybernorum tempus appetebat) in Peloponnesum eo consilio concessit, ut sub vernum tempus inde profectus aliquod præclarum ederet facinus, quo Chalcidicam refarciret cladem. Canalis ubi domum venit, perpetua est relegatione damnatus. Eum vidimus, ac sæpe allocuti fui mus in Portu Gruario, Carnorum oppido: observavi in illo præter miram eloquentiam, majestatem etiam quandam imperatoriam. Rogatus a me, qua potissimum ratione patriæ desiderium levaret: *Duplici, respondit, indagine, venatoria & literaria*. Nec Mocenici hyberna omnino ociosa fuere: sed & naves reficiendas curavit, & circa Ægei maris insulas misit, qui Græcorum animos Euboico excidio consternatos confirmarent. Hæc ille pro imperio: quum Marinus Maripetrus & Aloysius Bembus, legati, ad prima veris signa in provinciam sunt missi, ut cum eis Mocenicus communi consilio Rempublicam administraret. Venit &

1470

Canalis do-  
mum veni-  
ens relega-  
tur.

Ri-